

individua, ac de verbo, ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, & inserti forent, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse motu pari derogamus contrariis quibuscumque. Aut si quibusvis communitate, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptis danda fides

§. 10. Volumus autem, quod presentium Literarum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo dicte Congregationis, aut alicujus curie ecclesiasticae, seu personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra ubique adhibeatur, quæ ipsis originalibus Literis adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Clausula penales

§. 11. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostre erectionis, institutionis, assignationis, reservationis, decreti, declarationis, concessionis, indulti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Dat. die 23. Martii 1637. An. XIV.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimo sexto, decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

D X X X I I.

Ne Fratres Discalceati Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispaniæ, post emissam Professionem possint transire ad Ordinem Fratrum Minorum S. Francisci de Paula.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Alia hic Pontificis edita Constit. præcedentem.

§. 1. Alias a Nobis emanarunt Literæ tenoris subsequenti, videlicet: Urbanus Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Commissi Nobis per abundantiam divinæ gratiæ pastoralis debitum postulavit &c. Omissionis residuum, quia habes Const. CCCL. Tom. VI. Par. I. fol. 243.

Nunc ad tollendam hæc

§. 2. Sed ne aliquis dubitare possit, an Fratres prædicti, per præsertas no-

stras Literas hujusmodi, in illis verbis, Etiam emissionis quarti voti, vel strictioris regula prætextu, transitus ad Ordinem Minorum Sancti Francisci de Paula nuncupatorum prohibitus sit.

§. 3. Ideo pro majori quiete, & conservatione regularis observantiæ Congregationis Fratrum Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis hujusmodi, dilectus filius Joannes de Annuntiatione ejusdem Congregationis Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis per aliquod opportunum declarationis nostre ministerium providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur eundem Joannem Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium prepositorum consilio, tenore presentium declaramus, prohibitionem in præsertis nostris literis contentam, & expressam, quod nimirum, non liceat Fratribus Discalceatis Congregationis hujusmodi post emissam in ea professionem ad alium ordinem, seu Religionem, præterquam Fratrum Carthusianorum, ut præfertur, transire, comprehendere etiam Ordinem Fratrum Minorum S. Francisci de Paula.

Qui declarat quod prohibitio præserta includat etiam transitum ad Ordinem Fratrum Minorum S. Francisci de Paula

Prohibetque ne de cætero transiant ad d. Ordinem.

§. 5. Ac proinde omnibus, & singulis Fratribus Discalceatis ejusdem Congregationis Sanctissimæ Trinitatis, tam laicis, quam cæteris choro deputatis, explicite, nominatim, & expresse prohibemus, ne de cætero, sub prædictis, & aliis quibusvis prætextibus, & aliis, quam ut præfertur, ad secundo dictum Ordinem Fratrum Minorum hujusmodi transire quoquo modo audeant, seu præsumant.

Ac irritas professiones emissas contra illam, vel præcedentis Constitutionis

§. 6. Decernentes, si aliquis Religiosus ex prædictis Discalceatis jam professus novam professionem in prædicto eorundem Minorum S. Francisci de Paula, vel in alio quolibet Ordine quomodocumque nuncupato emisserit, ultra penas in prædictis nostris literis appositas, professionem hujusmodi ipso facto nullam, irritam, & inanem, nulliusque valoris, & effectus: Eodemque prorsus modo, professionem per eisdem primo dictos Fratres in Ordine Carthusianorum hujusmodi emissam absque licentia prius petita, & obtenta a Superioribus prædictæ Congregationis Fratrum Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis hujusmodi, etiam ipso facto nullam, irritam, & inanem, nulliusque valoris, & effectus existere, & fore, ac irritum, & inane, si secus super his a quo-

Delegatque contrariis

quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstante, quod de jure communi concessum est in cap. licet, de Regularibus, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac prædictorum Ordinum, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis Congregationi, & Ordinibus hujusmodi, illorumque quibusvis personis, & fratribus, sub quibus verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum omnium tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Hæc Constit. transumptis si dem adhiberi mandat.

§. 8. Volumus autem, ut presentium transumptis, etiam impressis, & Ministri Generalis, seu Procuratoris Generalis Romanæ Curie eorundem Fratrum Discalceatorum, seu alicujus Prælati, vel personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ sigillo munitis, & Notarii publici manu subscriptis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

Dat. die 4. Aprilis 1637. An. XIV.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 4. Apr. 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

D X X X I I I.

Ex Regest. in Secret. Brevis

De Constitutionibus Clericorum Regularium Minorum emendatis a Congregatione Episcoporum, & Regularium imposterum observandis non obstantibus Decretis Clementis VIII.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Clem. VIII. prohibuit, quominus regulares ad habitum, & professionem admittentur in Domibus a se non approbata.

Alias postquam fel. record. Clemens Papa Octavus Prædecessor noster suo Decreto, seu Decretis desuper editis strictè præceperat, & mandaverat omnibus Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsentibus, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis quibuscumque, cæterisque Superioribus Conventuum, Monasteriorum, Domorum, & aliorum Locorum regularium quorumcumque Ordinum, nonnullis tunc exceptis, & in Decretis hujusmodi expressis, ne sub cujusvis licentiæ, & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, nisi per Literas in forma Brevis dumtaxat, & non aliis, quemquam ad habitum regularem suscipiendum, nec etiam Conver-

Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

fos, nisi in Conventibus, Monasteriis, & Domibus, auctoritate ejusdem Clementis Prædecessoris in unaquaque Provincia designandis recipere, aut receptos ad professionem admittere ullo modo audent sub certis tunc similiter expressis penis per contrafacientes eo ipso incurrendis: receptiones vero, & professiones quaslibet eorum, qui contra hujusmodi Decretum, seu Decreta admissi fuissent, nullas, & irritas esse ad quemcumque effectum, ex tunc decreverat, & declaraverat idem Clemens Prædecessor: qui excipiendo in eisdem Decretis nonnullas alias Religiones ordinasse censebatur, ut dilecti filii Præpositus Generalis, & alii Superiores Clericorum Regularium Minorum nuncupatorum, & illius Instituti Religiosi tamquam non excepti, sub Decreto, seu Decretis hujusmodi comprehenderentur.

Postmodum vero ab hac lege Clericos regulares Minores excepti

§. 2. Comperto postmodum, eosdem Præpositum, Superiores, ac Religiosos laudabiliter progredi in via mandatorum Domini, ac religiosæ vitæ exemplo, religiosius exercitationibus aliis ad salutem prodesse, supplicationibus eorundem Præpositi, aliorumque Superiorum hujusmodi sibi humiliter porrectis inclinatus, per ejus Literas in forma Brevis sub Annulo Piscatoris die 10. Martii 1600. expeditas, eisdem Præposito Generali, ac aliis Superioribus Clericorum Regularium Minorum hujusmodi, ut Novitios recipere, eisque habitum per eos gestari solitum exhibere, illosque postquam Novitiatum annum explevissent, ad professionem per eos emitti consuetam admittente, servata tamen Decretorum dicti Clementis Prædecessoris desuper editorum, ac aliarum Constitutionum Apostolicarum forma libere, & licite possent, & valere, licentiam, & facultatem concessit. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac prædictis suis Decretis, & aliis quibuscumque in contrarium facientibus, & prout latius in eisdem Literis, quarum tenores haberi volumus pro expressis, continetur.

Dubitantibus tamen nonnullis de suæ professionis validitate ob non servatam primam Decreti Clementini partem

§. 3. Cum autem, sicut dilecti filii modernus Præpositus Generalis, & Assistentes generales Congregationis Clericorum Minorum hujusmodi Nobis nuper exponi fecerunt, licet ipsi in vim prædictarum Clementis Prædecessoris Literarum in forma Brevis, ut præfertur, expeditarum Novitios ad habitum absque Domorum, seu Locorum Regularium designatione hujusmodi, prout Decreta prædicta requirunt, admiserint; nihilominus nonnulli dicte Congregationis professores, sive observantiæ, vitæque regularis minus amantes, sive nimio scrupulo ducti voluerint, & velint dubitare de validitate suarum professionum per eos a tempore dictorum Decretorum emissarum, & actuum inde hucusque sequutorum, aut saltem usque ad tempus, quo

N



quo Constitutiones dictae Congregationis per rec. mem. Paulum Papam Quintum etiam Praedecessorem nostrum in forma specifica, & pravia diligenti eorumdem Constitutionum per Venerabiles Fratres nostros, tunc suos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales negotiis Episcoporum, & Regularium Praepositos revisione emendatae, approbatae, & confirmatae fuerint, & ab eo tempore, quo supradicta Clementis Praedecessoris praefati Decreta per Nos etiam approbata, & innovata fuerunt, huiusmodi dubium, seu hesitationem suam deduxerint, & deducant ex vano pretextu, quod in dicto Brevis Clementis Praedecessoris apposta sit haec clausula: *servata videlicet praefatorum Decretorum forma*, quae quidem clausula licet intelligi debeat quoad alia in praefatis decretis ordinata, non quo ad ea, quae sunt in eisdem Decretis Clementis Praedecessoris excepta, ne aliis ipsius Clementis Praedecessoris Breve frustratorium fuisse detegatur, attamen illi de professionum suarum validitate dubitare volentes non modo non acquiescant, sed doctrinas, & opiniones in contrarium disseminant in gravissimum divini cultus, ac observantiae, disciplinaeque regularis praerudicium, Nobis propterea Praepositus Generalis, & Assistentes generales praefati, ut his incommodis, imaginariisque dubitandi pretextibus tam haecenus ortis, quam qui de extero oriri possunt, mature obviatur, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignemur.

Urbanus declarat ab ea lege exceptos fuisse Clericos Reg. Min.

§.4. Nos igitur omnem dubitandi circa praemissa materiam praecidere, dictaeque Congregationis quieti, quantum cum Domino possumus, consulere, eisdemque Praeposito Generalem, aliosque specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, ac motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione nostris, ac de nostra apostolica potestatis plenitudine, tenore praesentium declaramus, quod Congregatio Clericorum Regularium Minorum praefata post concessam ei a dicto Clemente praedecessore per suas in forma Brevis Literas huiusmodi licentiam, & facultatem supra expressam ex tunc de cetero in praefatis ipsius Clementis Praedecessoris Decretis comprehensa non fuit, quin potius excepta, & propterea a die datae Literarum praefatarum obligata non fuit habere loca regularia particularia pro Novitiis faciendis: ideoque professiones postea in quibusvis Domibus, & locis regularibus

eiusdem Congregationis emissas a quibuslibet ipsius Congregationis Religiosis fuisse, & esse validas, ac omnes, & singulos, qui post datam praefati Brevis eiusdem Clementis Praedecessoris professionem emisserint, vel imposterum emittent, ad quemcumque effectum, etiam in foro conscientiae remanisse, & remanere obligatos, eidemque religioni adstrictos.

§.5. Insuperque mandamus Constitutiones praefatas, ut praefertur, pravia emendatione, & approbatione Congregationis Regularium per eundem Paulum Praedecessorem confirmatas imposterum esse inviolabiliter observandas.

§.6. Non obstantibus praefatis eiusdem Clementis Praedecessoris Decretis, etiam per Nos approbatis, & innovatis. Sicque in praemissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.7. Non obstantibus praemissis, ac omnibus, & singulis, quae dictus Clemens Praedecessor in suis Literis praefatis voluit non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima prima Aprilis 1637. Pontificatus nostri Anno XIV.

D XXXIV.

Quod Capitulum Generale Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis de sexennio in sexennium dumtaxat celebretur.

Hanc Congregationem approbavit Sixtus V. in Constit. XXXV. Ex omnibus. Tom. IV. Par. IV. fol. 161. Et quod Capitulum celebretur quolibet sexennio aliis statutis Clement. VIII. in Constitut. CCXXXVIII. Superna. Tom. V. Par. II. fol. 325.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Matthaeus Mortuellus Praepositus Generalis, & Consultores Generales, & Arbitri Consultae Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, quod licet iuxta Congregationis Constitutiones apostolica auctoritate confirmatas statutum sit, ut Capitulum Generale eiusdem Congregationis quolibet sexennio celebretur; nihilominus a nonnullis asseritur, celebrationem Capituli Generalis huiusmodi ad triennium, apostolica

Ab eis que servanda esse. Const. editas tempore Pauli Papae V.

Contraria tollit.

Dat. die 21. Aprilis 1637. An. XIV.

Motiva huius Const.

apostolica

apostolica auctoritate redactam esse: quare cum de tali reductione non constet, ut cuicumque difficultati, quae inde oriri possit, occurratur, & gravissimi sumptus, quibus domus regulares, & praesertim Romanae Congregationis huiusmodi maximo suo cum detrimento gravarentur, si dictum Capitulum Generale tam saepe celebrandum foret, evitentur: Nobis Exponentes praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignemur.

Declarat servari prout in Rubr.

§.1. Nos igitur Congregationis, & Domorum praedictarum indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere, dictosque Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, attento quod non constat de Capituli huiusmodi reductione praedicta, Capitulum Generale praedictum de sexennio in sexennium dumtaxat iuxta dictas Congregationis huiusmodi Constitutiones celebrandum esse, & celebrari, electionemque moderni Generalis, & aliorum Officialium in Capitulo Generali Congregationis huiusmodi novissime celebrato aliis canonice factam, iuxta formam Constitutionum praedictarum per integrum sexennium durare debere, ac Generalem, & alios Superiores in Capitulis Generalibus, seu in Consulta Generali eligi solitos, scilicet Procuratorem Generalem, Provinciales, & Secretarium. Consulta praedicta officia eorum per totum sexennium huiusmodi, servata tamen praedictarum Constitutionum dispositione, libere, & licite exercere posse, & valere, ita tamen ut Litera nostra super modo, & forma eligendi Generalem, Consultores, & Arbitrum dictae Congregationis, sub die 29. Aprilis 1628. emanatae omnino observentur.

Decretum irritans.

§. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, apostolica auctoritate, tenore praesentium decernimus, & declaramus.

Contraria derogat.

§.3. Non obstantibus, quatenus extet, reductione praedicta, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictaeque Congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudini Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

bus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium, & singulorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanens, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima quarta Aprilis 1637. Pontificatus nostri Anno XIV.

Dat. die 24. Aprilis 1637. An. XIV.

D XXXV.

Confirmantur quaedam Statuta, & Decreta pro bono regimine Congregationis Galliae Ordinis Fratrum Discalceatorum S. Augustini.

Ex Regest. in Secret. Brev.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

§.1. Aliis supplicationibus dilecti filii Romualdi a Sancta Magdalena tunc Fratrum Eremitarum Sancti Augustini Discalceatorum Congregationis Galliae in Romana Curia Procuratoris Generalis tam suo, quam tunc existentium Vicarii Generalis, Definitorum, & aliorum Superiorum dictae Congregationis nominibus Nobis humiliter porrectis inclinati, Vicario Generali praedicto Capitulo generale dictae Congregationis anticipandi licentiam concessimus, ac dilectum filium nostrum Franciscum tituli Sancti Calixti Presbyterum Cardinalem de la Rochefoucault nuncupatum in Praesidentem dicti Capituli, illiusque causarum Commissarium, apostolica auctoritate, deputavimus cum facultate per se, vel alium dicto Capitulo praesidendi, ac praesertim faciendi, & terminandi quaecumque necessaria judicaret circa Constitutiones, & Cereemonias essentielles eiusdem Congregationis, divisionem, & restrictionem Provinciarum, aliisque facultatibus prout in diversis nostris desuper in simili forma Brevis sub dat. 15. Septembris 1635., & 15. Januarii 1636. expeditis Literis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, plenius continentur.

Pontif. Card. Ruffinacadii in Praesidem Capituli Gen. huius Congreg. deputaverat;

Facultatemque tribuerat novae pro bono ejusdem regimine Constitutiones edendi.

§.2. Cum autem, sicut dilectus filius Archangelus a Sancta Maria Aegyptiaca eiusdem Congregationis in Romana Curia Procuratore Generali Nobis nuper exponi fecit, praedictus Franciscus Cardinalis Literis huiusmodi inhaerens Ven. Fratres Leonorium Carnotensem, & Dominicum Antihodoren. Episcopos in Praesidentes dicti Capituli, illiusque causarum Commissarios, apostolica auctoritate sibi in hac parte commissa, cum omnimoda auctoritate, facultate, & potestate sibi in dictis

In eo Capitulo sequentes Constit. fuerunt observatae.



dictis Literis attributa substituerit; illique sic substituti auditis omnibus, & singulis Religiosis Fratribus ex tribus Provinciis ad Capitulum convocatis, & cunctis eorum rationibus, & sententiis mature discussis, & ponderatis pro Dei gloria, & felici dictae Congregationis statu, & prospero ejus regimine, quae sequuntur in Domino statuere, ordinare, & publicare, antequam ad electiones procederetur, utile, & necessarium duxerint, & judicaverint, videlicet:

Die 2. Junii.

Tres Provincie in duas redacta.

I. Tres Provincias in Bulla Pontificia nominatas Provinciae scilicet, Provinciae Franciae, & Delphinatus in duas restrinximus ob Superiorum sufficientium, & capacium praesentem necessitatem, itaut Provinciae Franciae, & Delphinatus unitantum subjaceant Superiori Provinciali usque ad annum 1642. quo tempore capacium, & idoneorum Superiorum sufficiens erit copia, ut praedictae Provinciae scilicet Franciae, & Delphinatus per se separatim sub proprio Provinciali, & Definitorio subsistant.

De Capitulis Provincialibus.

II. Imposterum quolibet Provinciae Capitulum Provinciale singulis bienniis, & in medio biennii Capitulum intermedium celebrabit.

De Assistentibus.

III. Tres erunt Assistentes Vicarii Provincialis scilicet unus ex Provincia Provinciae, & alii duo ex Provincia Franciae, & Delphinatus Visitationibus Generalibus extinctis utpote statui Congregationis superfluis.

Electione Superiorum Majorum.

IV. Pro hac vice tantum electiones Vicarii Generalis, duorum Procuratorum Romanae scilicet Curiae, & Franciae, trium Assistentium, duorum Provincialium, & Definitorum utriusque Provinciae, Prioris Conventus Parisien. & Secretarii Congregationis sicut in hoc Capitulo Generali ab omnibus Fratribus Congregationis vocem secundum statuta habentibus.

Definitorio Generali.

V. Praesens Definitorium Generale, ultra duos Praesidentes Apostolicos, consistat Vicario Generali electo, deinde absoluto, tum duobus Procuratoribus Generalibus, & tribus Assistentibus, & si eorum aliqui abentes fuerint, eligentur, & substituentur canonice aliqui ex praesentibus Fratribus ad supplendam eorum absentiam.

Electionibus praesentis Capituli.

V. Ad requisitionem, & instantiam omnium Patrum Capitularium R. P. Archangelum a Sancta Maria Aegyptiaca dispensavimus super sex circiter menses de triennii post professionem complemento ad sui Procuratoris officii electionem.

Ultimo, quod attempta multitudine praedictorum Fratrum in hoc Conventu degentium, & ut quancitius unusquisque ad suos possit redire Conventus electiones Superiorum, & aliorum officiorum localium fiant ante quascumque Definitio-

nes a Patribus Definitorii Generalis, ut supra a Nobis ordinati.

Aliae Constitutiones.

Die vero 23. Junii praesidentibus supra dictis Episcopis in Definitorio generali canonice electi sint in Superiores Generales, & Provinciales videlicet in Vicarium Generalem dictae Congregationis, dilecti etiam filii Hilarion a Sancta Ursula, & in Procuratorem Generalem Curiae Romanae dictus Archangelus a Sancta Maria Aegyptiaca, praevia dispensatione super triennio a professione, Procurator Generalis Franciae, tres Assistentes Provinciae scilicet Provinciae Franciae, & Delphinatus, duo Provinciales, & ceteri ejusdem Congregationis Superiores, & Officiales, & praesertim Antonius a Sancta Magdalena in Vicarium Hospitii, seu Conventus Taulianensis, necnon sequentibus diebus, & praesentibus Episcopis praedictis in Definitorio generali necessaria ad observantiam Regularem, & alia pro ejusdem Congregationis regimine statuta, & definita sunt, ut plenius in ipsis Definitionibus, & Ordinationibus, in quatuor partes divisas plenius dicitur contineri: & praesertim, quod Vicarius Generalis, & Provinciales, absolute eorum officio, ineligibiles ad quodcumque officium habens votum remaneant usque ad proximum Capitulum sive generale, sive provinciale, quod etiam voluerunt habere locum in his, qui per duo Capitula immediate subsequuntur, & completa ad aliquod officium habens votum promoti forent. Ad officium tamen Vicarii Generalis possit eligi quicumque ex praedictis, excepto Vicario Generali absoluto. Non poterit Vicarius Generalis sine consensu, & consilio Procuratorum Generalium quando praesentes erunt, & ejus Assistentium, quod non poterat sine Definitoribus. Nulli recipiuntur alterius Religionis, vel Congregationis professi, neque illegitimi, vel aliam infamiam notati sub poena nullitatis professionis; In Capitulis Provincialibus conclusiones, definitiones, & decisiones fieri non possint, sicut tamen propositiones ad Capitulum Generale mittenda. Praesidens Capituli Provincialis a Vicario Generali deputandus erit alterius Provinciae: in Provinciale poterunt eligi Patres alterius Provinciae. Quod si contigerit unum, & eundem simul a duabus Provinciis eligi, Vicarius Generalis cum Assistentibus de Provinciali alterius Provinciae providebit. Constitutiones, necnon Ceremoniale ad meliorem formam reducantur, & ad hoc nominati, & deputati sint dictus Pater Hilarion a Sancta Ursula Vicarius Generalis, Pater Gelazius a nomine Jesu Procurator Generalis Franciae, Pater Dionisius a Sancta Monicha, Pater Raphael a Virgine Maria, Pater Alipius etiam a Virgine Maria Assistentes Generales, & approbati procurent. Die vero 4. Julii visis, & mature consideratis a praedictis Praesidentibus electionibus Superiorum, & Defi-

Definitoribus in Capitulo conclusis ea, quae sequuntur pro majori firmitate, & robore decidenda, & declaranda judicaverunt.

I. Provinciam Provinciae primum locum inter Provincias obtinere juxta Breve Apostolicum.

II. Electionem Prioris Parisien. fieri debere in Capitulo Provinciali, & in eo suffragari, non autem in Capitulo Gen.

III. Quod non obstante restrictione duarum Provinciarum Franciae scilicet, & Delphinatus, ac Provinciae, Prov. Franciae, & Delphinatus suos distinctos Officiales Generales habeat per Breve Apostolicum concessos, quasi essent sub distinctis Provincialibus gubernate.

IV. Quod Definitio, qua prohibetur divisionem Provinciarum imposterum fieri posse, nisi ad minus sint octo Conventus, sit sine praedictis harum duarum Provinciarum, quae anno 1642. manere distinctas per praesentes declaramus, licet pro tunc in qualibet ipsarum fuerint tantum quinque Conventus.

Has leges Procur. Gen. petit confirmari.

§.3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, praemissa ab eisdem Praesidentibus, & Definitorio generali, ut praesertur, ordinata, facta, & decreta subinde per eundem Franciscum Cardinalem sub nostro, & Sedis Apostolicae beneplacito sub die 11. mensis Julii anni 1636. confirmata, & approbata fuerint: firmiora vero sint ea, quae nostro, & Sedis Apostolicae munimine, & patrocinio roborantur: proptereaque dictus Archangelus plurimum cupiat illa per Nos, & Sedem Apostolicam approbati, & confirmari, aliaque infra scripta fieri, atque ordinari; Nobis propterea dictus Archangelus tam suo, quam dicti Hilarionis a Sancta Ursula moderni Vicarii Generalis, ac Assistentium, aliorumque dictae Congregationis Superiorum nomine humiliter supplicari fecit, ut super praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Ratas habet Urbanus.

§.4. Nos igitur dicti Archangeli votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illumque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati praeserta decreta, necnon electiones, etiam per viam concordiae, ut praesertur, factae, & ordinationes hujusmodi apostolica auctoritate, tenore praesentium approbamus, & confirmamus, eisque perpetuae, & inviolabilis firmitatis robur adicimus, omnesque, & singulos tam juris, quam facti, ac solemnitatum, & alios quantumvis substantialis defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint

in eisdem, supplemus. Decreta vero, & ordinationes dicti Capituli Generalis praesentibus Literis non expressa, dummodo illa licita sint, & honesta, Sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, Regularibusque dictae Congregationis institutis non adversentur, auctoritate, & tenore praedictis, etiam approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adicimus;

§.5. Praeterea supervenientibus quibuslibet difficultatibus pro expositione, vel declaratione Definitionum, aut Statutorum, statuimus, & ordinamus, quod de cetero dispositio, & declaratio hujusmodi ad Vicarium Generalem una cum Procuratoribus Generalibus, si adsint, & tribus ejusdem Vicarii Assistentibus tantum cum inhibitione expressa omnibus, & singulis aliis Fratribus ejusdem Congregationis cujuscumque conditionis, ne illis se immisceant, sicut & omnium eorum, quae pro tempore extra etiam Capitulum Generale ordinanda fuerint, spectare, & pertinere debeant;

Præscribitur methodus tenendam, si quod Dubium super praesentibus declarationibus oboriatur.

§.6. Et insuper, quod duo, vel plures in primo, vel secundo gradu consanguinei, vel affines nullatenus simul conveniant, & votare possint, & multo minus Definitorium simul ingredi, & concurrere, etiam ad tertium usque gradum eodem biennio, vel triennio valeant, uti plenius continetur in Constitutione felicis recordationis Clementis Papae Octavi Praedecessoris nostri, dat. Romae die 28. Februarii anni 1596. Quod Vicarius Generalis una cum Patribus Procuratoribus, si sint praesentes, ac tribus Assistentibus, Patrem aliquem senem, aut infirmum, & alias Superiorem, licet non quinquagenarium, qui in regimine vitae innocentiae se laudabiliter gesserit, ad quascumque commissiones generales Provinciales, Conventuales, & particulares eligere, & promovere, necnon si opus sit, in necessariis cum illo ad ea, quae illi pro tempore committentur exequenda dispensare valeant. Quod dilectus etiam filius Ambrosius a Sancta Monica ejusdem Congregationis professor in Provincia, & Conventu sibi a Superioribus assignata remaneat, non obstante mansione sibi per dictas Literas assignata, attento, quod hujusmodi gratiae ipse renunciavit: Quod divisio Provinciarum Franciae, & Delphinatus in unam tantum restrictarum non intelligatur dilata usque ad annum 1642. si proximum Capitulum Generale celebrandum Avenione anno 1639. feria sexta ante Festum Sancti Michaelis Archangeli dictas Provincias Franciae, & Delphinatus separatim subsistere posse, & pro bono dictae Congregationis expedire judicaverit: quo casu in dicto Capitulo anno 1539. Provinciales, & quatuor Definitores eligantur, & a Definitorio generali ceteri Superiores Provinciae Franciae. Praeterea, quod non possit Provincialis quemlibet omni-

Alias quoque dat leges.



omnino Fratrem extra suam Provinciam mittere, nisi pravia obedientia Vicarii Generalis ab eo in scriptis obtenta, sub poena suspensionis, ac privationis officii ipso facto statuiamus, & ordinamus. Insuper nunc, & pro tempore existenti Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali dictae Congregationis Protectori praedictas Constitutiones, & Coerecentiale postquam, ut praefertur, condita fuerint, Apostolica auctoritate, approbandi facultatem, dicta auctoritate, tenore praesentium concedimus, & impertimur, ita tamen, ut Fratres dictae Congregationis illis non utantur, nisi postquam approbata fuerint. Postremo quasdam Literas Apostolicas in simili forma Brevis sub Dat. 13. Jun. 1636. super declaratione mentis nostrae quoad divisionem Provinciarum huiusmodi editas, dictoque Francisco Cardinali directas executioni nondum demandatas cum omnibus in eis contentis auctoritate, & tenore praedictis perpetuo revocamus, cassamus, annullamus, & irritamus, ac pro revocatis, cassatis, annullatis, & irritis haberi, & ceteri debere volumus. Demum, ut imposterum omnes dictae Congregationis Fratres cum pace, & quiete omni in Domino vivere possint, omnibus, & singulis Superioribus, cujuscumque status, gradus, vel conditionis existant, ceterisque dictae Congregationis Religiosis sub excommunicationis, aliisque poenis praecipimus, & mandamus, ut omnes processus, informationes, literas communes, aut particulares, accusationes, & similia huiusmodi tam in Visitationibus generalibus, quam in provincialibus, & particularibus receptas, & factas a principio dictae Congregationis usque ad dictum Capitulum Generale dilacerent, & comburant, injungimus, praecipimus, atque maadamus, perpetuumque eis super hoc silentium, ita ut imposterum nullus superior, aut inferior praedictis accusationibus, processibus, & similibus sub quovis praetextu, aut quaesito colore uti possit, imponimus;

Classulas apostolicas.

§.7. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedes Apostolicas Nuncios judicari, & definiri debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Coerecentia tollit.

§.8. Non obstantibus singulis Literis nostris praedictis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quae in eisdem volumus non obtinere, ceterisque contrariis quibuscumque.

Jus Prioris Gen. Ordinis tenetur.

§.9. Volumus autem, quod in praemissis auctoritati Prioris Generalis Ordinis Sancti Augustini in aliquo non censetur praedictatum, sed quod remaneat salva in omnibus, & per omnia juxta con-

cordiam alias inter dictum Priorem Generalem, & eosdem Fratres Discalceatos Congregationis Galliae initam, & a Nobis per nostras Literas in forma Brevis expeditas sub dat. die 21. Julii 1728. quae incipit: *Ex injunctis Nobis &c.* confirmatam, & approbatam.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima septima Aprilis 1637. Pontificatus nostri Anno XIV.

Dat. die 27. Aprilis 1637. An. XIV.

D XXXVI.

Facultas alienandi usque ad summam ducentorum, & quinquaginta millium scutorum monetae, necnon reducendi annuos census ad minus interururium, concessa Congregationi Cassinensi.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus Procurator Generalis Monachorum Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti, praedictae Congregationis, illiusque regiminis nomine, quod ob malas temporum conditiones, damna, detrimenta, atque incommoda per eandem Congregationem accepta ratione bellorum, incursum militum, & destructionis edificiorum in bonis ejusdem Congregationis, necnon rapinas, ablationesque animalium, aliasque extraordinarias calamitates, quae bona ex parte ejusdem Congregationis praedia inculta reddiderunt, necnon graves solutiones, quae pro summa quadraginta trium circiter millium scutorum quotannis per dictum Procuratorem sunt, ratione diversorum subsidiorum Sedis Apostolicae, Monasteria dictae Congregationis ob defectum suorum reddituum ad praesens sunt adeo oppressa, ut illorum nonnulla jam ruinis eversa, & se sublevare impotentia reddita sint, aliis vero eadem ruina impendat, nisi illis de opportuno subventionis auxilio per Nos provideatur, prout alias per Romanos Pontifices praedecessores nostros Monasteriis huiusmodi fuit in similibus occasionibus provisum, & praesertim per Pium V. qui similes, & forsitan minus urgentes ob causas per quasdam suas, sub die 19. Martii 1570. duodecim Congregationibus Regularium tunc expressis bona stabilia pro summa quadringentorum millium scutorum auri, quorum centum, & triginta tria millia dictae Congregationi Cassinensi pro sua rata obtigerunt; & postmodum, quia summa huiusmodi non sufficiebat, per alias suas sub die 5. Octobris 1571. in simili forma Brevis respective expeditas literas, eidem Congr. Cassinensi bona stabilia pro alia summa quinquaginta millium scutorum aureorum vendendi facultatem respective concessit, eoque modo damnis, & periculis Monasterii dictae Congregationis tunc temporis imminuentibus opportune occursum fuisse, eademque Monasteria notabilem exinde subventionem percepisse, experientia compertum est.

Motiva petitionis.

Concedit, prout in rub.

§.2. Nobis propterea dictus Procurator quo supra nomine humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & alias ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictae Congregationis, & illius Monasteriorum indemnitati, quantum cum Domino possumus, consulere, eaque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, ac illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, necnon praedictarum dicti Pii V. praedecessoris literarum tenores praesentibus pro expressis habentes, Abbatibus Monasteriorum dictae Congregationis, quae praedictis, & aliis majoribus necessitatibus ad praesens gravata reperiuntur, ut cum approbatione tamen dilecti Filii nostri Francisci Sancti Laurentii in Damaso Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati S. R. E. Vicecancellarii, nostri secundum carnem ex fratre germano Neopotis, ac praedictae Congregationis apud Nos, & Apostolicam Sedem Protectoris, ac licentia regiminis dictae Congregationis ea praedictae Congregationis bona stabilia, quae pro liberanda ab aere alieno Congregatione praedicta, restorationibusque necessariis, & utilibus in ejus bonis faciendis magis opportuna fuerint iudicata, usque ad summam in totum ducentorum, & quinquaginta millium scutorum monetae, quibusvis personis meliorem conditionem offerentibus, servatissimeque modis, & formis in praedictis Pii V. praedecessoris nostri literis contentis, & juxta illarum tenores, & continentias, vendere, distrahere, atque alienare, sive in emphyteusum dare, necnon census annuos super ipsius Congregationis bonis stabilibus de licentia Sedis Apostolicae impositos cum pecuniis ad minorem rationem pro quolibet centenariis, & anno sive minori interururio obnoxii, super eodem fundo accipiendis, & cum conditionibus in priori instrumento apposis redimere; ita tamen ut praesentes aliis ejusdem Congregationis Monasteriis minime suffragentur, quam iis dumtaxat, quae ad onerum per Sedem Apostolicam impositorum debitam solutionem integre concurrerant, & concurrunt, libere, & licite possint, & valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, & indulgemus.

§.2. Non obstantibus fel. rec. Pauli Papae II. etiam praedecessoris nostri de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, & Ordinis, & Monasteriorum praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque omnibus, quae dictus Pius V. praedecessor noster in praedictis suis literis voluit non obtinere, ac aliis contrariis quibuscumque.

Derogatio contrarium

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 19. Junii 1637. Pontificatus nostri anno Decimoquarto.

Dat. die 19. Junii 1637. An. XIV.

D XXXVII.

Contra eos, qui mentito nomine, vel cognomine, adhuc Prima uxore vivente, ad secundas nuptias transeunt.

Anathematis poenam dicentibus, quod Christianis plures habere uxores liceat, imposuit Concil. Trident. de Sacros. Matrim. sess. 24. can. 2. Idemque prohibitum asserit Innoc. III. cap. Gaudemus, §. Nec ulli, de divortii.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Magnum in Christo, & in Ecclesia Matrimonii Sacramentum, ut vita est legitima inter Virum, & Foeminam indissolubilis societas, in qua ex pari consensu semetipsum alter alteri debet: ita gravibus, debitisque poenis corripiendi sunt ii, qui mandatorum Domini immemores, & posthabita propria salutis ratione, sacrosanctas huiusmodi Sacramenti leges violare non verentur.

Exordium.

§.1. Cum itaque, sicut non sine magna animi nostri molestia accepimus, ii iniquitatis filii reperiantur, qui sub mentito nomine, seu cognomine, adhuc prima uxore vivente ad secundas Nuptias transire audent.

Nonnulli mentito nomine, seu cognomine ad secundas nuptias transeunt, vivente prima uxore.

§.2. Nos nefariam improborum hominum huiusmodi temeritatem juxta creditum Nobis desuper apostolicae servitutis officium, quantum cum Domino possumus, reprimere volentes, habita prius super hoc cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in universa republica christiana contra haereticam, pravitatem generalibus Inquisitoribus ab hac Sancta Sede deputatis, deliberatione matura, hac nostra perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut huiusmodi sic delinquentes, ultra poenas, quibus ipsi ordinarie puniri solent, damnentur ad Trirames in perpetuum: quod si inhabiles reperti fuerint, publice fustigentur, & damnentur ad carceres in perpetuum. Si vero

Ad quod fecit daluna magis arcendi Pontif. ultra solitas poenas, etiam ad trirames, fustigationem, & alias poenas damnari huiusmodi nefarios homines decernit.